

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Two
~~Level One~~ Medieval Latin Examination

7 September 2012

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Alcuin writes to an abbess

Vere soror in Christo suavi caritate te rememorare soleo, optans, ut bene habeas in Domino et proficias in conspectu eius de die in diem. Ideo diligentius obsecro, ut contendas placere ei in omni humilitate patientia pietate et dilectione, et non dimittas ire animum tuum post vanitates huius seculi. Praeterit enim figura huius mundi, et maiores eius dilectiones maiores postea parturient dolores. Sit vita tua sobria et casta, et sermones tui pauci et pleni veritatis. Quia de omni re quodcumque feceris vel loqueris, rationem redditura eris coram terribili iudice Christo. In omni momento ante oculos tuos habeto poenas impiorum et praemia iustorum. Non deficiat spes et dilectio tua in bonitate Dei, tunc non deficiet misericordia eius in te. Ora illum assidue et conservabit te semper. Quia ille solus fidelis est amicus aeternus, sicut ipse ait: 'Qui autem diligit me, diligitur a patre meo, et ego diligam illum. Et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus'. Itemque Iohannes: 'Qui in caritate manet, in Deo manet et Deus in ipso, quia Deus caritas est'. Bene valeto, dilectissima soror.

2. Alan of Lille: God is an intelligible sphere whose centre is everywhere and whose circumference is nowhere.

Attendite, commilitones karissimi, qualiter huius auctoritatis thesauro ditatur Hebreus quo spoliatur Egiptius. Haec est enim altiloqua philosophi tuba, quae terrenorum naturam dedignans balbutire, altioris theologiae ausa est secreta intonare. Hic enim est magnus retor Tullius, qui sicut humanae eloquentiae flore praenituit, sic altioribus theologiae verbis intonuit dicens: Deus est sphaera intelligibilis, etc....

Disquisitius etiam intueamur qualiter immensitas divinae essentiae formam induat sphaerae, ut legitur in Boetio: Sphaera est semicirculi circumductio. Si quis etenim ad idem punctum a quo processit semicirculum intelligibiliter circumducatur, necesse est ut sphaericam formam inveniatur. Circulus autem est aeternitas, tempus semicirculus, quia aeternitatis pars. Unde Tullius in Rethorica Inventionum ait: Tempus est pars aeternitatis. Tempus etenim ab aeternitate progreditur et in aeternitatem regreditur. Unde Mercurius temporalitatem dicit ad eundem fontem regredi a quo verum est ipsum progredi. Aeternitas igitur, quia tempus in se reflectens circumducit, id est, circulariter ducit, merito ut semicirculi temporalitatis aeternitas circumductio esse dicatur, et ita, sphaera.

3. Henry of Avranches: Survivors of the Viking attack recover the talking head of St. Edmund

Dampna querens capitis, ubi querere debeat illud

nescit et ancipiti fertur ubique gradu.

Itur in antiquam siluam, que tam preciosi

conscia thesauri quo spoliatur habet.

Per iuga, per siluas, per devia lustra ferarum

ambiguos certus dirigit ordo uiros.

Intendunt gressu parili, seseque uocando

uocibus alternis ductilibusque tubis.

Neue relinquatur aliquis locus aut repetatur,

quisque sequi comites, quisque preire cauet,
et sibi clamantes respondentesque uicissim
explorant ubi sit unus, et alter ubi.
Tum caput acclamans, "Her! Her! Her!" (quod dicitur "Hie! Hie!
Hie!") se supplicibus monstrat adesse suis.
Curritur ad uocem iocundam mente iocosa,
sudorisque sui premia quisque uidet.
O noua forma rei, nouitas formosa, potestas
subsidiis Domini subsidiumque potens!

4. From the Preface of Dante's "On the Eloquence of the Vernacular" (De vulgari eloquentia)

Cum neminem ante nos de vulgaris eloquentiae doctrina quicquam inuenimus tractasse, atque talem scilicet eloquentiam penitus omnibus necessariam videamus, cum ad eam non tantum viri sed etiam mulieres et parvuli nitantur, in quantum natura permittit, volentes discretionem aliquantulum lucidare illorum qui tamquam caeci ambulant per plateas, plerumque anteriora posteriora putantes, - verbo aspirante de caelis - locutioni vulgarium gentium prodesse temptabimus, non solum aquam nostri ingenii ad tantum poculum haurientes, sed, accipiendo vel compilando ab aliis, potiora miscentes, ut exinde potionare possimus dulcissimum hydromellum. Sed quia unamquamque doctrinam oportet non probare, sed suum aperire subiectum, ut sciatur quid sit, super quod illa versatur, dicimus, celeriter attendentes, quod vulgarem locutionem appellamus eam qua infantes assuefiunt ab assistentibus cum primitus distinguere voces incipiunt; vel, quod brevius dici potest, vulgarem locutionem asserimus, quam sine omni regula, nutricem imitantes accipimus.